





Pr. 28. num. 75. P. 10.

1764

8

14.  
DISSERTATIO PERIODICA  
PHILOSOPHICO - IVRIDICA

QVA  
NONVLLAS

DE

IVRE VINDICANDI  
SERVOS FVGITI-  
VOS POSITIONES

PRAESENTE

IOACHIMO GEORGIO DARIES

POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILII INTIMIS

IVR ET PHILOS. IN ILLVSTR. VIADRINA DOCT.

ET PROFES. PVBL. ORDIN. SENATVS ACAD.

SCIENT. VTIL. ELECT. MOG. ASSES.

ORDINARIO

ETC., ETC.

IN AVDITORIO MAIORI

D. XXX. IVN. MDCCCLXIV.

SVB

EXAMEN PVBLICVM

REVOCAT

ERNESTVS FRIDERICVS SCHERER

BEROL.



\*\*\*\*\*

FRANCOFVRTI CIS VIADRVM,

TYPOIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI

ACAD. REG. TYPOGR.



folia dicitur. et  
etiam in locis  
rebus. et res.

V I R O  
ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO  
H A N S L E W I N  
A B V R G S D O R F F

POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI ET E-  
LECT. BRANDENB. A CONSILIIS IN  
CIRCVLO LEBVSIENSI HEREDI-  
TARIO IN HOHENIESAR  
ET TREPLIN

PATRONO SVO INDVLGENTISSIMO

HANC  
DISPV TATIONEM

OMNI QVA DECEP OBSERVANTIA

OFFERT ET CONSECRAT

E. F. S C H E R E R.





## EXERCITATIO

QVA

NONVLLAE DE IVRE VINDICANDI  
SERVOS FVGITIVOS POSITIONES  
SVB EXAMEN REVOCANTVR.

---


§. I.

### RATIO INSTITVTI.

Cum plurima, eaque grauissima in serie sententiārum, quae iura vocantur, reperiri soleant, quae omne vel maximum certe praefidūm a notionibus non satis perspicuis atque incompletis, et a legum adcommmodatione regulis non conueniente sumunt, quod ipse LEYSERVUS *Vol. I. med. ad ff.*

A

*Spec.*



*Spec. I. monuit; illi demum solidas mihi rationes inire videntur, qui e primis rerum causis controversias eruunt; vt cognitis, quae per distinctas rerum notiones legitime determinantur, firmiori deinceps iudicio, quid de doctorum opinionibus sentiendum, aestimari queat. Quae cum ita sint, non, vt opinor, sine commodo erit, rerum ex noti-*

*nibus, quid de iure vindicandi seruos fugitiuos sentiendum euoluere. Hoc enim facto clarum erit atque perspicuum*

*doctorum sententias, quarum causa*s ius vindicandi seruos fugitiuos locum solum habeat quoad seruos, qui sunt statu tales, et iis solum in territoriis sit exercendum, in quibus ser-**

*vitus statu talis permissa, minime vero in iis, vbi obtinet*

*paroemia: die Luft macht friv, nisi praevia de seruo fugitiuo restituendo conuentione, esse erroneas. Id est, quod*

*commata, quae sequuntur, demonstrabunt.*

### S. II.

#### DEFINITIO SERVI.

Ideam *serui* generatim sumo, qua serui non a seruare sed a seruire dicuntur, et qua *famuli* quoque sunt serui. Eam itaque sumo notionem, quam §. 589. et §. 830. Inst. Lurispr. vniuersalis administrant, qua *seruus* est, qui talem habet statum, per quem perfecte obligatus ad alterius utilitatem operis suis promouendam.

### S. III.

#### QVAE PROBATVR EX VSV LOQVENDI PHILOSOPHORVM.

Eam de seruo definitionem usui loquendi et communis, et a philosophis, et a ICtis recepto conuenientem esse docebo.

◆◆◆

docebo. Primo de philosophis. b. WOLFF Parte VII.  
Iuris naturalis §. 1080. seruitutem quidem definiuit per  
subiectionem, qua quis operas perpetuas pro alimentis  
perpetuis praestare obligatur. Sed ipse monuit §. 1083.  
seruitutem in perfectam atque imperfectam diuidendam  
esse, et seruitutem vocat imperfectam, si operaे deben-  
tur nonnisi certae, aut si non debeantur perpetuo, aut non  
continuo. Ex quo manifestum est, perpetuas operaе de-  
bere non esse de essentia serui generativi sumti. Eadem est  
sententia GROTTII, qui seruitutem perfectam, ut speciem  
seruitutis a seruitute imperfecta I. B. et P. Lib. II. Cap. V.  
§. XXVII. et §. XXX. distinguit, et ad seruitutes imperfe-  
ctas refert seruitutem, quae aut sit in diem, aut sub condi-  
tione, aut ad res certas. Talis, inquit, est libertorum, statuli-  
berorum, nexorum, addicitorum, adscriptorum glebae, septem  
annorum servitus apud Hebraeos, et altera ad Inbilaeum  
vsque: Penestatum apud Thessalos; eorum quos manus  
mortuas vocant; ac postremo mercenariorum. Conf.  
HOECHSTETTER in collegio Pufendorfiano p. 439. L.

§. IV.

ICTORVM.

Nec abhorret ea vocis explicatio ab vsu loquendi  
a ICtis recepto. Ipsa FLORENTINI de seruitute defi-  
nitio, quam L. 4. §. 1. ff. de statu hominum subministrat,  
qua seruitus est constitutio iuris gentium, qua quis domi-  
nio alieno contra naturam, id est, contra statum naturae,  
seu conditionem hominum praeiuam, vid. HYBERI Ius  
ciuit. Lib. II. Cap. III. §. II. subiicitur, generaliorem il-



Iam vocis significationem sumere permitit. Poteſt enim ea florentiniana definitio et ad ſeruos a ſeruare, et ad ſeruos a ſeruire dictos accommodari. Bene enim monuit S T R V V I V S in Synt. Iur. ciu. Exert. III. §. XV. domino alieno ſubiectum eſſe latius patere, quam ſeruum eſſe, a ſeruare nimirum diſtum, ſeu ſtatu talem, quia dominio ſubiectus ſtatu liber eſſe potest, quod hodie in noſtris miſtris atque famulis adparet. Idem maniſtum eſt ex iis, quae POTGIESERVVS in egregiis de ſtatu ſeruorum com-mentationihiſ §. XIV. Proleg. de variis ſeruitutis signifi-cationibus expoſuit. Tripliciter, inquit, ſeruitus coniſiderari potest. Primo quatenus facultati ſive libertati naturali adeo laxe ſumtae, vt non minus eam quae facti, quam quae iuriſ eſt, opponitur, quo ſenſu eſt libertatis priuatio, ſi viſ fiat homini libero, et exercitium facultatis phyſice impe-diatur. Secundo, quoties opponitur potestati herili, quo reſpectu denotat obligationem domino ſeruiendi, atque conuenit cum ſeruitute paſtitia temporali, licet ea ſit du-rior. Tertio, quum opponitur dominio aliisque iuribus, quo intuitu designat aliquam proprietatem, qua ſerui, per-inde atque aliae res, quae in patrimonio ſunt, ad dominum perteſtent. Et quae reliqua. Quae cum ita ſint, non ſine cauſa BEIER in Delin. Iur. ciuit. ad Lib. I. Inſt. Tit. III. poſit. 15. ſeruos hodiernos vocauit liberos homines, quo-rum operas certa mercede conduximus.

### §. V.

#### ET EX VSV LOQVENDI COMMUNI.

Dixi §. 2. ſeruum eſſe, qui per ſtatum perfecte obli-gatus. Haec enim eſt differentia specifica, qua homines operarii

operarii a seruis atque famulis distinguuntur. Operarii enim ex contractu solum obligantur, famuli vero atque ferui, qui contractu se obligarunt, eo contractu statum constituerunt, per quem post haec obligati. Haec, quae dixi, sufficient ad eam, quam de seruis formaui definitionem, corroborandam.

#### §. VI.

SERVI SVNT VEL STATV TALES, VEL STATV LIBERI.

Is, qui dicta ratione seruus est, aut habet libertatem de statu suo disponendi, aut ea libertate priuatus est. Illi sunt serui, qui *statu liberi*, hi vero serui, qui *statu tales*. Serui statu liberi hodie vocantur *famuli, ministri*, et dominus in relatione ad famulos vocatur *herus*. Inter seruos statu tales hodie referuntur *homines proprii* seu *homines de corpore*, qui sunt serui stricte sic dicti.

#### §. VII.

##### CONSECTARIUM.

Hicce ex notionibus infero: qui alicui certas operas ad certum tempus pro alimentis vel certa mercede locauit, durante illo tempore seruus est, finito vero illo tempore libertatem habet de statu suo disponendi, ideoque est statu liber, qui vero operas perpetuas locavit priuatus est libertate de statu suo disponendi, ergo est statu seruus.


#### §. VIII.

REGVLA FVNDAMENTALIS EX DICTIS  
INFERTVR.

*Vires serui, quatenus est seruus, in to suum domini translatae sunt.* Quatenus enim quis est alterius seruns,

A 3

eate-



eatenus <sup>6</sup> talēm habet statū, per quem pēfēctē obligatur ad domini vtilitatem operis suis prōmouendām (§. 2.). Quatenus quis alteri pēfēctē obligatur, eatenus hic habet ius illum cogendi (§. 153. I. N.); Quatenus itaque quis est seruus, eatenus domino competit ius eius de statu suum in commodum disponendi. Quare, cum id ad to nōstrum pertineat, de quo iure nostro nostrum in commodum disponere possamus (§. 277. I. N.); consequens est, statum serui, quatenus est talis, ad to suum domini pertinere, seu vires serui, quatenus est talis, in to suum domini translatas esse,

#### §. IX.


##### M O N I T V M .

Argumentationem, qua veritatem regulae in comma te praecedente posita demonstraui, euoluturus facile perspiciet, eam nec ē differentia specifica, quae ideam serui pēfēcti atque perpetui, seu eius, qui est statu talis, nec ē differentia specifica, quae ideam serui temporarii atque famuli, seu eius, qui est statu liber componit, sed ex idea serui generatim formata, qua et famuli serui sunt, esse illatam. Quare, quum posita eadem ratione eādem legis dispositio ponenda sit, sequitur: eam regulam de quounque valere seruo, ideoque vires serui, qui est statu talis atque perpetui, in to suum domini in perpetuum, vires vero serui qui est statu liber, atque famuli ad id tempus, ad quod operas suas locauit, in to suum domini esse translatas.

#### §. X.

##### S E R V V S E S T I N B O N I S D O M I N I .

Notum est ex L. 49. ff. de V. S. *in bonis alicuius esse latius accipiendum esse*, quam in dominio esse, ideoque omne



7

omne, de quo nostrum in commodum disponere possumus, ideoque quod ad to nostrum pertinet, esse in bonis nostris. Legitime inde fluit, seruum, qua talem, esse in bonis domini (§. 8.), ideoque seruum perfectum, seu qui est statu talis, in bonis domini esse in perpetuum, famulum vero, seu seruum, qui est statu liber, esse in bonis domini ad id tempus, ad quod operas suas locavit. (§. 9.).

### §. XI.

#### IUS POSSIDENDI SERVVM.


*Domino, qua tali, competit ius possidendi seruum, quatenus est talis.* Quum enim ea ratione habeamus ius aliquid possidendi, qua nobis competit ius ea de re nostrum in commodum disponendi (§ 441. I. N.), id est, ea ratione, qua est in bonis nostris, seu qua ad to nostrum pertinet (§. 10.); domino vero competit ius de viribus serui suum in commodum disponendi, seu vires servi sint in bonis domini, seu ad to suum domini pertineant (§. 8. 10.); consequens est, ut domino, qua tali, competit ius vires serui possidendi. Si usus, ad quem percipiendum habemus ius, sine substantiae possessione percipi nequeat, usuario competit ius ipsam rei substantiam possidendi (Cor. §. 449. I. N.). Manifestum itaque est, domino, qua tali, competere ius seruum, qua talem, possidendi.

### §. XII.

#### CONSECTARIUM.

Quoad seruos itaque perfectos, atque statu tales domino hocce ius competit in perpetuum, quoad seruos vero statu liberos, seu quoad famulos atque ministros durante illo tempore, ad quod operas suas locarunt. (§. 9.)

### §. XIII.



### §. XIII.

#### IUS VINDICANDI SERVVM.

Ius possidendi iuris explectione non secundum ius naturale solum sed et secundum ius ciuale dat ius vindicandi, id est, ius rem illam ab alio possessam repetendi (§. 450. I.N. et §. 691. Inst. Iuris Romano-Germanici). Id itaque iure a quocunque possessore vindicare possumus quod est in bonis nostris (§. 10. et dem. §. 11.). Conf. L. 52. ff. de A.R.D. Ex quo manifestum est, domino, qua tali, competere ius seruum suum, qua talem, a quocunque possessore vindicandi (§. 11.), et quidem in relatione ad seruos perfectos seu statu tales in perpetuum, et in relatione ad seruos statu liberos seu famulos durante illo tempore, ad quod operas suas locarunt (§. 12.).

### §. XIV.

#### SERVVS FVGITIVVS QVIS.

*Seruus* vocatur *fugitiuus*, qui ea mente a domino eo inscio atque inuitu discedit, ne ad eum redeat, id est, vt a seruitute possit liberari, vid. L. 17. §. 1. ff. d. aedil. edit. Quare, quum seruus statu talis in perpetuum, seruus vero statu liber, seu famulus ad id tempus sit obligatus, ad quod operas suas locauit (§. 6.), sequitur, vt seruus statu talis seu perfectus sit fugitiuus, qui sine consensu domini ea, qua dixi ratione, discedit; famulus vero sit fugitiuus, qui prius ea ratione discedit, quam tempus, ad quod operas suas locauit, finitum.

### §. XV.

#### SVI FACIT FVRTVM.

Non ex idea solum serui perfecti, qui fugitiuus, sed et ex idea famuli fugitiui legitime fluit regula, ex qua

A F R I -

¶¶¶¶

AFRICANVS L. 60. ff. de furtis argumentatus est, seruum nimirum fugitiuum sui furtum facere. Quum enim vires serui, qua talis, in to suum domini translatae sint (§. 8.) seu quum seruus sit in domini bonis (§. 10.) ; sequitur, ut seruus fugitiuus vires alienas inscio atque inuito eo, qui iis in viribus ius habet, auferat (§. 14.), ideoque ut seruus fugitiuus non quia est seruus perfectus, aut quia est famulus, sed quia est seruus fugitiuus generatim sumptus, sui faciat furtum (§. 119. Inst. Iurispr. Rom. Germ.).

§. XVI.

IUS VINDICANDI SERVVM  
FVGITIVVM.

Per multae itaque adsunt rationes, quae, domino, quatali, competere ius vindicandi seruum fugitiuum sive perfectum seu statu talem, sive famulum seu statu liberum, corroborant. *Primam* subministrat §. 13. Seruus enim fugitiuus non est in possessione domini, cui tamen ius seruum possidendi competit (§. 11. et §. 14.). Ius itaque seruum fugitiuum vindicandi inter ea referri debet iura, quae ex idea domini generatim formata fluant (§. 13.). *Alteram* subministrat §. 15, Quum enim ex idea serui fugitiui generatim formata legitime fluat, seruum fugitiuum sui facere furtum; consequens est, ut vires serui perfecti fugitiui et famuli fugitiui sint res furtuiae. Quare, quum domino, cui res furto ablatae sunt, competit ius eas a quoconque possessore vindicandi; sequitur, ut domino quoque competit ius vires serui fugitiui, ideoque iuris expletione ius seruum fugitiuum (vid. §. 449. 450. I. N.) a quoconque possessore vindicandi.

B

§. XVII.



## §. XVII.

PERMVLTI DISSENTIVNT, EORVM ARGVMEN-  
TVM PRIMVM.

Si sermo sit de seruis perfectis atque statu talibus, inter quos hodie homines proprii referuntur, ius illud seruum possidendi, fugituumque vindicandi domino competere, doctores facile concedent. Confer. MEVIT Tract. *von dem Zustande, Abforderung, und vervviederter Abfolge der Bauersleuthe.* STAMMII de seruitute personali L. III. Cap. XV. POTGIESSERI de statu seruorum Lib. II. Cap. IX. Si vero sermo sit de seruis, qui sunt statu liberi, seu de famulis, et qui sunt serui conductiti, qui solummodo obligantur ad eas domino exhibendas operas, ad quas vi pacii se obligarunt, ad tempus contractu definitum, in sententia, quam, ut opinor, satis demonstrauit, a me permulti dissentient. Euoluamus dissentientium argumenta, et deinde ad ea responsuri sumus. Primum, quod in contrarium adducunt argumentum, est quod sequitur. Famuli, inquit, quoque nostri et ancillae, quae in annum, vel certum tempus operas suas pro certa mercede locarunt, ante tempus illud, sine iusta et legitima causa, discedere non possunt, alias natura contractus, et iuris civilis dispositione dominis tenentur ad id, quod illorum interest; arg. L. 15. §. 8. ff. loc. cond., nec integra merces ipsis ita discedentibus debetur, imo nec praecedentis temporis merces ipsis soluenda est. Inde tamen non fluit, domino competere ius eiusmodi seruos fugitivos a possessore vindicandi. Eiusmodi enim seruus domino solummodo obligatur ex locatione conductione, ideoque ex contractu. Ius itaque, quod domino in eiusmodi seruum competit, est ius,

¶

ius, quod oritur ex contractu, ideoque ius personale, ius  
vero possidendi atque vindicandi est ius reale.


§. XVIII.

AD QVOD RESPONDETVR.

Respondeo. *Primo* nego consequentiam: quia famulus seu seruus conductitius domino obligatus est locatio-  
ne conductione, iura domini in seruum conductitium sunt  
solummodo personalia. Sed distinguo inter contractum  
de seruitute constituenda et seruitutem constitutam. Con-  
tractus de seruitute constituenda est locatio conductio, ex  
qua promittens obligatur ut capessat statum, per quem al-  
teri ad tempus contractu definitum obligatur, et hoc ex  
contractu domino, id est, is cui promissio facta est, com-  
petit ius a promittente postulandi ut promissum praestet,  
ideoque ut tempore determinato statum illum capessat.  
Hocce ius ex contractu oritur, et est ius personale. Promit-  
tens vero, qui statum illum capessit, vires, quas promis-  
tit, in to suum domini transfert, ideoque tradit, ad quod  
tradendum ex contractu obligatus est. Quare, quum per  
traditionem transferatur ius reale, si quis id tradat, ad quod  
tradendum ex contractu obligatus est (§. 787. Inst. iuris  
Romano Germanici); consequens est, ut ius, quod domino  
in seruum etiam conductitium, qua talem, seruitute con-  
stituta usque ad tempus contractu definitum competit, sit  
ius reale. *Deinde* concedo, famulum seu seruum con-  
ductitium ante tempus contractu definitum sine iusta et le-  
gitima causa non posse discedere, alias domino teneri ad  
id, quod huius interest. Sed quid est, quod constituta  
seruitute huius interest? estne seruitutis continuatio? Er-

B 2

go




go et hisce ex principiis ius illud possidendi, et ius famu-  
lum fugitiuum vindicandi legitime fluit.

§. XIX.

QVAE RESPONSIO CORROBORATVR PRIMO AR-  
GVMENTATIONE EX LOCATIONE CONDU-  
CTIONE RERVM.

Non repugnat huic sententiae analogia iuris. Loca-  
tio conductio rerum est contractus, et iura, quae eo ex  
contraetu, qua tali, oriuntur sunt personalia. Intercedat  
rei, cuius usus pro mercede promissus est, traditio, tan-  
quam implementum, et conductori in re locata usque ad  
usum finitum competit ius reale. Permulti quidem Do-  
ctores dissentunt. Sic v. gr. hac de re LAVTERBACH  
in Colleg. theoretico-practico §. 17.: *In locatione rerum  
sive fruendi, ex parte locationis usus rei i. e. facultas re  
tenendi iure obligationis debita, non vero res ipsa, sive eius domi-  
nium, sive seruitus, aut aliud ius in re in hunc contractum de-  
ductitur et promittitur*, et §. 74.: *in locatione conductione  
rerum datur actio primum ad hoc, ut locator praeslet condu-  
ctori re locata uti licere, quod includit, ut rem locatam condu-  
ctori tradat, hac ipsa autem traditione regulariter neque do-  
minium, sive aliud ius in re, neque vera possessio, sed natu-  
ralis tantum detentio in conductorem transfertur.* Rationem  
vero, qua sententiam illam corroborant, euoluturus facile  
perspiciet eam, ad thesin illam corroborandam, esse insuffi-  
cientem. Argumentantur ex eo, quia locatio conductio  
est contractus, contractus vero ex propria sua forma dis-  
tinguuntur, et dant solum ius personale. Respondeo.  
Distinguendum est inter contractum et contractus imple-  
mentum. Emissio venditio est contractus, et quatenus  
est




est contractus eatenus inde solummodo eriuntur iura personalia, si vero accedat rei promissae traditio, ius inde constitutum erit ius reale. Posta eadem legi's ratione eadem quoque ponenda est legis dispositio, ea itaque traditione, qua locator conductori dat possessionem vslus contractu promissi, vtique constituitur ius reale, quod per formam contractus, de quo hoc loco est sermo, est seruitus tempora-  
ria (§. 30. *Inst. Iurispr. Romano-Germanicæ*).

### §. XX.

#### QVAE RESPONSIO CVM ANALOGIA IVRIS CONSENTIT.

Eam vero sententiam analogiae iuris non repugnare ea, quae sequuntur, satis, vt opinor, probant. *Primo* CARPOZOVIVS in *iurisprudentia forensi P. II. Const. XXXVII. Def. II. n. 7.* Ex lege I. in pr. C. de iur. *Emphyt. et L. vlt. C. de Reb. alien. non alien.* infert, locationem, constitutam nimirum, esse speciem alienationis. Hance sententiam legitime illatam esse, ipsa alienationis probat notio. Quum enim alienare idem sit, quod to suum in to suum alterius transferre, locator vero, qui promissum praefstat, ius re sua vtendi atque fruendi in to suum conductoris transferat; consequens est, vt locatio, constituta nimirum, sit species alienationis. Res locata non alienata est, sed ius re locata usque ad tempus contractu definitum vten-  
di atque frnendi. Ex quo legitime fluit, rem locatam esse in conductoris bonis (§. 10.), ideoque conductori, constitu-  
ta nimirum locatione conductione, iuris explectione com-  
petere ius rem locatam possidendi (§. 11.) et a quoconque posseffore vindicandi (§. 13.), si nimirum ius vtendi atque fruendi, quod traditum est, alia ratione non possit exerce-



re. *Deinde argumentor: Si conductor, constituta nimis  
rum locatione conductione, non contra tertium solum tur-  
bantem vel deiicientem, sed et aduersus ipsum locatorem  
et rei locatae dominum vim facientem secundum leges ha-  
beat remedia possessoria; manifestum erit, eiusmodi condu-  
ctori quoque competere ius reale.* Antecedens non leges  
solum iuris romani sed et ius canonicum atque praxis cor-  
roborat. Consequens itaque, quia legitime illatum, verum  
est. Probo antecedens. Quoad ius romanum MARCEL-  
LVS L. 12. ff. de vi et de vi armata et PAPINIANVS L.  
18. pr. l. c. conductori de possessione deiecto interdictum  
vnde vi, quod est remedium possessorium, expressis ver-  
bis tribuunt. VLPIANVS quidem L. I. §. 10. l. c. hocce  
ius colono denegare videtur. Quum vero interpretatio  
fiat secundum aequitatem, atque analogiam iuris, et quum  
sensus priorum legum sit clarus; sequitur, me non sine cau-  
sa ad eorum accedere sententiam, qui affirmant, VLPIA-  
NVM solum loqui de colono, qui vsum donatum sua vi oc-  
cupavit, non vero de eo, cui res ad percipiendum vsum  
promissum a locatore tradita. Quoad ius canonicum pro-  
uoco modo ad c. 4. X. de Praelatis, ne vices suas vel eccl-  
esiias. Praxin demonstrat de LEYSER Med. ad Pandect. Vol. VII. Spec. CCCCLI. Med. III. verbis, quae sequun-  
tur: *Quod iuri ciuili defuit, suppletum est in iure canonico,* atque remedia possessoria conductori aduersus ipsum  
locatorem tributa fuerunt. l. c. Et hoc in foro sequimur.  
Itaque interdictum vnde vi conductori expulso, et si expel-  
lens a locatore causam habeat, damus. Adseram exem-  
plum. Conduxerat quis fundum pupillarem a tutore in  
quinquennium, tenueratque iam per biennium, quo lapsi,  
quum

quum in locum prioris tutoris alius surrogaretur, hic fundam pupillarem alii melioribus conditionibus locat. Novus conductor agrum sine mora arat conseritque, contradicente frustra primo. Messe adpropinquante, vterque se ad fruges colligendas parat, iudicemque, ut possessionem suam tueatur, implorat. Index conductori primo adsenit, inaeque sic decernit: Demnach Hayke Ubben diesem Hochfuerstl. Amtsgerichte vermoegte eines Accords zwischen Pastor Hayue, als Buchhaltendem Vormunde ueber weyland Hmrich: Klausen Erben remonstriret, dass er der Pupillen 3 u. einen halben Grafen accordirter massenfuenf Jahr, anfangend den 1. May 1723. gebrauchen sollte, er auch zwey Jahr das Land geruhig gebraucht, nunmeiro aber Klaus Gerriets sich vertouten lassen, die auf solch Land stehende Fruechte zu wollen einzuendten, so wird auf besagten Hayke Ubben Anhalten dem Klaus Gerriets hiemit sub poena 20 gfl. anbefohlen, die auf mehrrewehnnten 3. u. einen halben Grafen stehende Fruechte nicht einzuendten, sondern gedachten Impetranten conditionirter massen der 5. Jahren ueber in dens Gebrauch solchen Landes nicht zu turbiren. Appellat secundus conductor, et hoc in primis ad rauim usque vrget, coloni et conductor nullam possessionem, sed detentionem folam competere, atque interim, lite pedente, messem facit. Verum Icti Helmstadiensis mense Julio anni 1720 xxvii. priorem sententiam confirmarunt, ac secundum conductorum tanquam spoliatorem condemnarunt: Dass wohl gesprochen und uebel appelliret, demnach klaeger in den Besitz des Ihm entzogenen pacht-genusses wieder zu setzen, und Beklagter Ihm allen erlittenen Schaden, welchen er vermittelte Eydes anzeigen wird, zu erstatthen, auch alle durch diesen Proces verursachte



ursachte *Vinkosten* zu bezahlen schuldig sy. Idem IC<sup>o</sup> similiter mens Augusto eiusdem anni iudicarunt in casu, quo conductor non a tertio, sed ab ipso locatore et domino deiectus fuerat, ex his rationibus: Es erscheinet aus den Acten klar, dass Klaeger das Guth Briesen als Pachter inne gehabt und ruhig besessen, auch, da Ihm die Raeumung desselben angekuendigt worden, sich deren geweigert, und einige Tage vorher bey der Obrigkeit um Manutenenz angesuchet, nichts destoweniger Appellantem einem andern Pachter eingesetzt, und dadurch Klaegern um Restitution anzusuchen bevoegen. Nun vvird zvar auf Seiten der Appellantem eingevendet, Klaeger koenne als ein bloßer Pachter sich keiner Possession ruehmen. Alldieveit aber ein Pachter, der das verpachtete Guth inne hat, solches vvahrhaftig und naturaliter besitzt, mithin, daferne er in solcher Possession turbiret oder daraus gesetzet vvird, sich der remediorum possessoriorum bedienen kann; so haben wir voriges Vrtheil bestaetigt.

#### §. XXI.

##### ET AD CASVM OBVIVM ADCOMMODATVR.

Positis vero his fundamentis, facile intelligitur, ius illud vindicandi seruum fugitiuum etiam conductictium, quod supra demonstravimus, domino competere, analogiae iuris sit conueniens. Quum enim eiusmodi serui ex locato obligentur: per se patet, dominum esse conductorum, qui viribus serui vtitur, et seruum esse locatorem, qui accipit mercedem, ideoque seruitute constituta dominum in seruo ea habere iura, quae constituta rerum locatione conductor in re habet locata. Quemadmodum ergo eiusmodi conductori competit ius rem locatam

tam possidendi, et ipsam possessionem a locatore, qui est turbator, vindicandi (§. 19. 20.): ita et dominus seruum illum fugitium, qui ipsa fuga dominum, qua conductorem, in possessione virium suarum turbat (§. 14. 15.), a quocumque possessore vindicare potest.


### §. XXII.

#### RESPONSIOILLA CORROBORATVR SECUNDQ. ARGVMENTATIONE A REMOTO.

Accedunt et aliae rationes, quae responsum §. 18. datam corroborant. Fiat argumentatio a remoto. Nota est Germanorum paroemia: *Wer freyen vwill, muss erß ausdienen*, de qua *ME VIVS L. I. ad Ius tubeceas. tit. 4. art. 4. n. 6.* quia causa, quae quidem honesta sed non necessaria est, inter modos finienda locationis non refertur. Ex quo consequens est, ut quoque secundum Germanorum praecepta ne ex honesta quidem causa servo conductio sit permisum ante, quam tempus famulatui praefinitum sit expletum, discedere. Haec sane erit regula fundamento destituta, si domino non competenter ius eiusmodi seruum ad tempus usque determinatum possidendi, atque a quounque possessore vindicandi. Prisco quidem iure saxonico im *Sachsenpiegel*. Lib. II. art. 33. constitutum est, ut famulis propter nuptias contractas liceat ante tempus conuentum discedere. Quum vero speculum saxonum ea inter systemata, quae regulas analogiae iuris communis conuenientes destruant, non sit referendum: facile erit intelligere, quid dubio allato sit respondendum.

### C

### §. XXIII.



§. XXIII.

ET ARGVMENTO A SIMILI SVMTO.

Denique confirmatur responsio illa argumento a simili sumto. Si marito secundum principia iuris communis competat ius vxorem a quocumque possessoire vindicandi: consequens est, ut ius vindicandi aduersus eos exercere, qui sunt statu liberi, sit tale, quod analogiae iuris communis non repugnat. Consequentiam esse legitimam manifestum est. Veritatem antecedentis ea, quae sequuntur, probant. Ideam de potestate maritali euoluturus facile concedet ex L. 2. ff. de liber. exhib. a LAVTERBACHIO in colleg. theoretico pract. ad Lib. XXIII. Tit. II. §. LXXXIV. et ex L. 3. C. eodem a BRVNEMANNO legitime esse illatum: marito ex potestate maritali competere ius coniugem vindicandi, et ad exhibendam vxorem agendi interdicto utili de liberis exhibendis etiam si a patre ipso detineatur. Et quae reliqua,

§. XXIV.

CONSECTARIA.

Ex iis, quae hucusque euoluca sunt, merito inducimus propositiones, quae sequuntur. *Prima:* analogiae iuris et naturalis et ciuilis conueniens est alicui concedere ius reale in personis, quae sunt statu liberae, ideoque ius reale in personis habere non inuoluere seruitutem perfectam atque perpetuam. *Altera:* per analogiam iuris et naturalis et ciuilis nobis competit ius homines liberos vindicandi, quatenus in eiusmodi personis detentis habemus ius reale. Quo ex principio permulta, quae de iure Domini in Valfallo, Abbatis in Monacho, et quae sunt reliqua, dicuntur, possunt inferri. Sed de his alio loco plura.

§. XXV.

## §. XXV.


SECUNDVM DISSENTIENTIVM  
ARGUMENTVM.

Haec de primo arguento, quod in contrarium adducunt dissentientes, sequitur alterum, quod ex legibus imperii sumunt. Argumentantur. Si sublata seruitute perfecta, sublatoque pfalburgeratu in *A. B. Tit. XVI. de pfalburgeris subditis Germaniae libertas emigrandi sit concessa: consequens erit, ius vindicandi homines liberos legibus imperii repugnare.* Antecedens ex loco citato manifestum est. Ergo et verum est consequens.

## §. XXVI.

## AD QVOD RESPONDETUR.

Respondeo. Non inquiramus hoc loco in antecedentis veritatem. Mittamus hoc loco rem eam dubiam atque controversam, an dicta in lege subditis Germaniae libertas emigrandi sit concessa? qui de re inter alios CARPOVIVS ad Aur. Bnll. quaeſt. 4. et HORNIVS de emigratione subditorum, b. de LVDEWIG in der vollstaendigen Erlaeuterung der guldenen Bulle ad Tit. depfalburgeris. Sumamus hoc loco eam libertatem germaniae subditis concessam esse, et hoc non erit sufficiens, ad sententiam, quam demonstravimus, deſtruendam. Nego enim consequentiam. Quemadmodum dominus, qui vſum rei suae certum ad tempus in to ſuum alterius tranſtulit, iuri de vſu rei suae disponendi, quod ex ipſa natura dominii habet, vſque ad tempus definitum renunciauit; ſic quoque ab homine libero, cui emigrandi libertas concessa eſt, qui ad certum tempus operas suas pro mercede locauit, libertari, de qua dicta eſt, vſque ad illud



illud tempus renunciatum est. In iustum vero est iure suo eo tempore, quo huic renunciatum est, vti. Manet itaque domino usque ad illud tempus in homine libero, qui est seruus conductitius, ius reale, ideoque saluo illo antecedente, quod sumtum est, ius seruum conductitium a quocunque posseffore vindicandi (§. 24.)

### §. XXVII.

AN IUS VINDICANDI HOMINEM PROPRIVM EO  
IN TERRITORIO EXERCENDVM, QVO SER-  
VITVS PERFECTA SUBLATA EST.

Accedamus ad sententiam eorum, qui sumunt, ius vindicandi seruum fugituum locum solum habere quoad seruos, qui sunt statu tales, minime tamen in eam descendere possum opinionem, qua ius illud iis solum in territorio sit exercendum, qua seruitus statu talis non est sublata. Haec sane est opinio analogiae iuris repugnans. Quum enim indubitate sit regula iuris: *si lex actui formam dat, inspiciendus est locus actus, non domicilii, non rei sitae, quam HERTIVS Diff. de collisione Legum Sect. IV. §. X. satis demonstrauit. Conf. obseruationum mearum iuris naturalis Vol. I. obs. XIX:* consequens erit, ut analogia iuris non permittat, eo in loco, quo quis ad exhibendum seruum fugituum agit, querere, an eo in territorio seruitus statu talis sit permissa; sed ut secundum analogiam iuris tali in casu eius loci habenda sitratio, ubi dominus ius reale in seruo adquisiuit.

### §. XXVIII.

QVAE SENTENTIA ARGUMENTATIONE A SIMI-  
LI CONFIRMATVR.


Corrobatur sententia illa argumento a simili sumto. HERTIVS I. c. §. XXXIII. ponit casum: *Titius testamen-*  
*tum*

tum facit secundum solemnitates loci, ubi agebat, sed pars bonorum sita erat in alio territorio, ubi testamenti factio de iis vetita erat, postremum in alia loco moritur, ubi diuersa item vigent iura; queritur, cuius loci iura inspicienda. Respondet HERTIVS verbis H. GROTI in Appendic. Epist. ad Fratrem 464. ubi de forma testamenti agitur, spectandum loci morem, in quo testamentum sit, recepta ab eruditis et usu omnium Gentium confirmata sententia est. Item tale testamentum vim suam ubique exercere non minus constat, idemque seruari, etiam si aduena in loco peregrinationis sua*c* testamentus fuerit. Quare, quum posita eadem legis ratione eadem ponenda sit legum dispositio: manifestum est, eadem ratione respondendum esse, si quis ad seruum fugituum exhibendum agat.

### §. XXIX.

#### VSVS EVOLVTORVM IN STATV PRIVATO.

Sed cui usui, inquis, haec omnia? Respondeo. Ea, quae evoluta sunt, non usum solum in statu priuato, sed etiam in statu publico habent. De singulis breuiter. *Pri-*  
*mus* quem evoluta in statu priuato praestare possunt, usus est, ut instructiones famulorum eos faciliori ratione producere possint effectus, quos ex legumlatoris intentione producant. Bonae famulorum instructiones a ciuitatum Rectoribus constitutae sunt, sed infelices earum sunt exitus. Queruntur ciues etiam boni de famulorum atque ancillarum inobedientia. Inquiramus in eiusmodi inobedientiae caussas, et facile erit intelligere, primum inter eas locum occupare, libertatem ante, quam tempus famulatu*m* prae*n* dicatum expletum est, discedendi. Discedit famulus ante,  
 D  
 et



et secundum doctorum opiniones famulus punitur, et dominus liberatur ab obligatione ad soluendam mercedem. Sed quaenam est ratio, cur seruus non teneatur ad seruandam fidem? concedatur domino ius vindicandi famulum fugitum, et primaria illius inobedientiae caussa erit sublata. Secundus usus. Sic Casus. Caius hominem suum proprium famuli loco ad aliud dicit territorium, in quo seruitus statu talis non est permitta, seu in quo dicitur: *die Luft macht frey.* Famulus fugit. Quaenam est eiusmodi inobedientiae caussa? Maneat domino ius vindicandi, et seruus erit obediens.

### §. XXX.

#### ET IN STATU PUBLICO.

Non minor erit eorum, quae demonstrauimus, usus in statu publico. Dicamus modo de milite fugitivo. Miles est seruus Rectoris populi conductissimus. Maxima et civitas et Rector ciuitatis inde sentit incommoda, si milites ante quam tempus contractu definitum sit absolutum discedant, id est, si milites siant fugitiui. Via fugae praecludatur, sed quibus auxiliis? experientia docet leges poenales non sufficere. Eripiatur milici spes, ut fuga se a statu suo possit liberare, quae iure militem fugitiuum a quocunque possessore vindicandi, quod Rectori ciuitatum et per ius naturae, et per ius commne competit, omnino eripitur, et exitus usum doctrinae probabit. Nonnulli quidem ea sunt in persuasione, ut ad hocce ius constituendum necessarium sit pactum de milite fugitivo restituendo. Quum vero eiusmodi pactum id solum constituat, quod iam antea erat juris natu-



naturalis, quibus de foederibus vide P V F E N D O R E. In Iure Nat. et Gent. Lib. VIII. Cap. IX. §. 2.; manifestum erit, eiusmodi conuentiones ad ius illud constituendum non nisi ex doctorum opinione esse necessarias. Alios usus ut jam taceam.




NOBILISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. D. T.

P R A E S E S.



**I**d, quod magnus de LVDEWIG de metaphysics oribus sermonem faciens perorat: pereant illi, quotquot iuuentum hisque tam salutaribus armis exuunt, et nudos violentissimis hostibus obiiciunt, *de iis quoque dicendum esse opinor, qui a iurisprudentia arbitraria naturalem sciungunt, et illatis quasi manibus leges positivas obseruantiasque imperii evoluunt.* Interest omnino studioſi iuris, ne fiat rabula ant leguleius; interest, ut genuinas legum rationes indaget, a spuriis aut minus solidis secernat, interest ut post haec iurisprudentiam ab erroneis doctorum opinionibus liberetur. Sed hoc quod



quod interest ad actum duci nequit, nisi perpetua sit iuris naturalis cum iurisprudentia particulari coniunctio. Hoc probe perspectum habes NOBILISSIME DOMINE RESPONDENS, quare de diligentia in addiscenda scientia legitima a TE hucusque adhibita TIBI gratulor, addoque votum ut D. T. O. M. auram velis tuis addere velit benignam, et ut ad portum exoptatum adpulsus, nouam mihi atque crebriorem praebeas gratulandi materiam. Vale.



### POSITIONES CONTROVERSAE.

- I. *Ius naturae est philosophia de iure. Ergo sine Iure naturae nulla est iurisprudentia.*
- II. *Ius romanum est ius naturae ad statum ciuitatis secundum hypotheses populi accommodatum.*
- III. *Divisio iuris in ius personarum, ius in re et ius ad rem regulis logicis non est conneiens.*
- IV. *Ratio est antecedens ex quo aliquid ut consequens concipiatur. Quidquid itaque est tale, quo non datur antecedens, id non habet rationem sufficientem.*
- V. *Controversia de mundo optimo non est logomachia.*
- VI. *Hic mundus salua essentia sua etiam individuali existens esse potest, licet homines non sint peccatores.*



**ULB Halle**  
004 393 171

3



f TA → D  
nw 1+10 Stück verknüpft





14  
Pr. 28. num. 75. P. 10.  
1764 8

DISSERTATIO PERIODICA  
PHILOSOPHICO - IVRIDICA

QVA  
NONNULLAS

DE  
IVRE VINDICANDI  
SERVOS FVGITI-  
VOS POSITIONES

PRAESENTE

IOACHIMO GEORGIO DARIES  
POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIIS INTIMIS  
IVR ET PHILoS. IN ILLVSTR. VIADRINA DOCT.  
ET PROFES. PVBL. ORDIN. SENATVS ACAD.  
SCIENT. VTL. ELECT. MOG. ASSES.

ORDINARIO

ETC. ETC.

IN AVDITORIO MAIORI  
D. XXX. IVN. MDCLXIV.

SVB

EXAMEN PVBLICVM  
REVOCAT  
ERNESTVS FRIDERICVS SCHERER  
BEROL.



\*\*\*\*\*  
FRANCOFVRTI CIS VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI  
ACAD. REG. TIPOGR.

